PÆAN STEPHANI PARMENII BUDEJI

Ad psalmum Dauidis CIV. conformatus, & gratiarum loco, post prosperam ex suis Pannoniis in Angliam peregrinationem, Deo optimo & ter maximo seruatori consecratus.



LONDINI,
Excudebat Thomas Vautroullerius Typographus.
1582.

AD ILLVSTREM ET NOBILISSIMVM GENERE, VIRTVTE, AC DOCTRINA HENRICVM VNTONVM προσφώνησις.

Victor ab aduerso quondam qui Marte redibat,
Aut de nauifragæ vortice sospes aquæ:
Vel spolia in templis, vel vestimenta locabat,
Tutius hoc starent quòd monimenta loco.
Tale aliquid quisquam nostrum pæana vocarit
Illo iam positum munus ab vsque die:
Cum sumus emensi, quicquid terræque marisque
Inter Pannonios Albionásque iacet.
Excipe magnanimis Britonum sate patribus heros,
Súbque tuo poni nomine posse sine.
Si tanto pendere tholo mea dona licebit,
A sera metuent posteritate nihil.





PAEAN STEPHANI PARMENII AD PSALMVM CIV. CONFORMATVS.

Nunc age pars nostri melior, seu spiritus auram,
Seu mihi mẽs alacres vitam diffundis in artus,
Dicam' bona verba: age grata voce loquamur
Res gestas, & facta Dei pulcherrima nostri.
Quandoquidem valdè egregio dudum ille paratu
Inclitus euasit: sic illum gloria circùm
Induit, & multo maiestas ambit honore.
Aut quid nobilius, quid magnificentius illo,
Aurea purpureo quem lux illustrat amictu?
Quem radijs subtile iubar? cui regia coelum,
Pendula conuexo tanquam cortina cubili?
Quæ quanquam igne rubet iugi, flammísque coruscat,
In gyrum lustratur aquis, & massa resultans
Sideribus, liquido pellucida diffluit amni.
Idque opus est pater alme tuum: Tu in nubibus altis,
Et medijs in fulminibus, multóque tonitru,
Ignipedes moderaris equos, totóque profectus
Æthere, præpetibus volucer spaciaris in auris.
Ergo & quæ peragit tua regia iussa iuuentus
Sunt immortales genij, sunt labe carentes,
Sunt animi volucres: illi, tua quando voluntas,
In rapidos abeunt flammis crepitantibus ignes.

AD ILLVSTREM ET NOBILISSIMVM GENERE, VIRTVTE, AC DOCTRINA HENRICVM VNTONVM

προσφωνητικόν.

Victor ab aduerso quondam qui Marte redibat,
Aut de naufraga vortice sospes aquæ:
Vel spolia in templis, vel vestimenta locabat,
Tutius hoc starent quod monimenta loco.
Tale aliquid quisquam nostrum pæana vocarit
Illo iam positum munus ab vsque die:
Cum sumus emensi, quicquid terræque marisque
Inter Pannonios Albionásque iacet.
Excipe magnanimis Britonum sate patribus heros,
Súbque tuo poni nomine posse sine.
Si tanto pendere tholo mea dona licebit,
A sera metuent posteritate nihil.





PAEAN STEPHANI PARMENII AD PSALMVM CIV. CONFORMATVS.

Nunc age pars nostri melior, seu spiritus auram,
Seu mihi mẽs alacres vitam diffundis in artus,
Dicam' bona verba: age grata voce loquamur
Res gestas, & facta Dei pulcherrima nostri.
Quandoquidem valdè egregio dudum ille paratu
Inclitus euasit: sic illum gloria circùm
Induit, & multo maiestas ambit honore.
Aut quid nobilius, quid magnificentius illo,
Aurea purpureo quem lux illustrat amictu?
Quem radijs subtile iubar? cui regia cœlum,
Pendula conuexo tanquam cortina cubili?
Quæ quanquam igne rubet iugi, flammísque coruscat,
In gyrum lustratur aquis, & massa resultans
Sideribus, liquido pellucida diffluit amni.
Idque opus est pater alme tuum: Tu in nubibus altis,
Et medijs in fulminibus, multóque tonitru,
Ignipedes moderaris equos, totóque profectus
Æthere, præpetibus volucer spaciaris in auris.
Ergo & quæ peragit tua regia iussa iuuentus
Sunt immortales genij, sunt labe carentes,
Sunt animi volucres: illi, tua quando voluntas,
In rapidos abeunt flammis crepitantibus ignes.

Atque etiam magnæ huic terræ, cum mobilis olim
Stare loco nondum sciret, tua summa potestas
Fundamenta dedit, solidóque coërcuit orbe.
Illud erat tempus, quando circumfluus humor
Abdiderat montes, medióque in viscere clausam
Vndíque tellurem vasta impediebat abysso.
Tu simul ac subito signum terrore dedisti,
Iussáque fulmineum crepuerunt nubila murmur;
Diuiduum fugit pelagus, terráque relicta
Aethera Nereides formidauere tonantem.
Tunc etiam apparere solum, cæloque minari
Aërij montes, gelidæ subsidere valles
Imperio cepere tuo, subitóque resultu
Arida de liquido caput extulit æquore tellus:
Quæ ne vesanis iterum madefiat ab vndis,
Terminus est vndis, est quo Neptunus in alueo
Littora fluctisono nequicquam exerceat æstu.
Iámque quòd è paruis ingentia flumina tophis,
Quòd tumidi veniant medijs de montibus amnes,
Et medij lateant tumidis sub montibus amnes,
Hoc opus omne tuum est. Bibit hinc de cæde cruenta
Bestia, veloces illic implentur onagri:
Inde pecus leuat omne sitim, leuat ales, & altis
Frondibus assuetæ volucres, circúmque supráque
Flumina, suauisono mulcent modulamine cœlum.
Idque opus omne tuum est. & iam fortasse per agros
Tota Ceres primis præceps moreretur in herbis
Ni benè maturos resolutis nubibus imbres
Montes, & bibuli caperent tua munera campi.
Ergo quòd ætherij satur est aspergine roris

Magna

Magna parens tellus, quòd præbet terga colono,
Pabula iumentis, epulas mortalibus, herbas
Afflictæ vel ferro hominum vel peste saluti,
Hoc opus omne tuum est: abs te proficiscitur vno.
Quòd securum animi paruo de stipite nectar
Luxuriant vites, & vitibus arbor amica
Exhilaraturum frontem desudat oliuum.
Quòd toties saturi ambrosia, & Cerealibus offis
Pascimur, & vitam seros agitamus in annos.
Quòd de nubigenis, quos tu pluis, imbribus arbor
Ebria deposito toties flaccore virescit.
Hinc Libano sua forma, suus decor annuus, & quam
Tu sator ingenti posuisti in vertice syluam,
Crescit odorato speciosa cacumine cedrus.
Sunt illic, quæ vere nouo, sub frondibus altis,
Ædificent volucres genitiua cubilia nidos.
Illic procera sublimis in abiete sedem
Collocat oblongo promissa Ciconia rostro.
Nec deest vastis suus incola montibus: illic
Aut pauidi latitant lepores, aut aspera tergo
Spicula læsuros histrix iaculatur in hostes.
Parua loquor; iuuat è terris succedere cœlo,
Huc vbi mirando vaga sidera vortice torques:
Huc vbi fraterna Diana redintegra luce
Mensibus ingentem breuibus discriminat annum:
Huc vbi deprimitur, certóque reuertitur ortu
Sol oculus mundi, Sol, qui simulátque iugales
Merserit Oceano, lucémque negauerit orbi,
Iam subit obscuræ tempestas horrida noctis;
Cædica iam, suasu væsani bellua ventris,

In pecudes cæca grassatur nocte minores.
Iam magnum auditur Massyla per auia murmur,
Magnanimûm quando soboles excita leonum
Rugit, & immeritum sitit iracunda cruorem.
Verùm idem roseos iterum simulátque iugales
Reddit ab Oceano, lucémque recolligit orbi;
In sua Marmarici redeunt spelæa leones,
Securúsque animis iam rusticus, arma vicissim
Tollit, & hinc rastros hinc iugera grata fatigat,
Donec equos vndis Titan mersurus in iisdem
Dimidium claudat tenebroso vespere mundum.
Terrarum nitidíque sator pulcherrime cœli,
Tótque bonorum æterne parens: quis enim illa videndo,
Quis pater attonitus non te admiretur, & alto
Pectore tot meritis meritò stupefactus adoret?
Si quocunque aduerto oculos, occurris vbique
Formosus, diues, sapiens, longæuus, honorum
Plenus, & in vita solus felice beatus.
Nam quantæ hic telluris opes? quæ copia rerum?
Quanta soli semper post paruam fœnera sortem?
Quanto illic longum spacio, quàm margine latum
Porrigitur pelagus? Non illi animantia desunt
Maxima cum minimis: illi monstrísque, ferísque
Terribiles habitantur aquæ, magnóque recessu
Innumeris semper populosum est fœtibus æquor,
Veliuolis spumat summum mare puppibus, imo
Deformes ponunt immania corpora ceti.
Omnia te passim venerantur, vt omnia passim
Opportuna tuo capiant alimonia iussu.
Nam quoties animis iam deficientibus aurem

 Aduertis

Aduertis, benè habent: quoties effundis, abundant
Deliciæ, & pleno ditissima copia cornu.
Idem difficili quoties tua munera vultu
Auertis, macilenta fame & mœrore fatiscunt
Omnia, & informis rerum natura laborat.
Quod si animam & diæ tollis spiracula mentis,
Protinus imbuitur cognato puluere corpus:
Quod si animam & diæ reddis spiracula mentis
Protinus emergit rediuiuo è puluere corpus,
Effœtúsque nouis iuuenescit honoribus orbis.
Nunc ergò æterni pulcherrima gloria patris
Æternum celebranda mane: lætatur & ille,
Dum meminit quod fecit opus: dum respicit alto
Aut formidantes terras; aut verbere magno
Emissura leues tangit fastigia fumos.
Illi ego, dum viuos inter pars vlla manebo,
Assiduum pæana canam, studióque perenni
Immortale pio fundam de pectore carmen:
Iucundum carmen, quòd cum bonus audiat ille,
Audiat ille lubens: Sed & ipse, quòd audiat ille
Plena voluptatis capiam solacia viuæ.
At vos ô homines turba execranda prophani
Ilicet è viuis steriles vanescite in vmbras.
Sed mihi mortales qui spiritus incolit artus
Factorem memorato suum, mecúmque vocato:
Salue summe Deûm, salue immortalis, auéque
Cœlicolûm pater, & nostrum dignatus honorem
Tantùm te dignas mitissimus aspice laudes.


